



Wg. 36.





Winnitzsch'sche Halle.



KÖNIGLICH
UNIVERS.
ZVHALLE

Kcl. 1544

DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA
DE EO,
QUOD CIRCA
72
D I V I S I O N E M
PARENTUM INTER LIBEROS
VOLUNTARIAM ET NECESSARIAM
IN FRANCONIA JUSTUM EST;

QUAM,
UNA CUM SUBJUNCTIS EX UNIVERSO JURE COROLLARIIS
A U S P I C E

DEO TER OPTIMO, MAXIMO,
ANNUENTE INCLYTO SENATU JURIDICO,
IN ALMA JULIO-DUCALI WIRCEBURGENSI UNIVERSITATE
P R A E S I D E

PRAENOBILI, CLARISSIMO AC CONSULTISSIMO VIRO, AC
DOMINO,

D. JOANNE CHRISTIANO JOSEPHO
FRANCISCO IGNATIO UNGER,

U. J. D. COM. PALAT. CAES. HAEREDITAR. REVERENDISS. ET CELSISS. S. R. I. PRINCIPIS
EPISCOPI BAMBERGENSIS ET WIRCEBURGENSIS, FRANCIAE ORIENTALIS DUCIS &c. &c.
CONSILIARIO AULICO, ATQUE IN PRINCIPALI UNIVERSITATE HERBIPOLENSIS JURIS
FEUDALIS ET CRIMINALIS, NEC NON PRAXEOS SUPREMORUM IMPERII RGM. GERM.
TRIBUNALIIUM PROFESSORE PUBLICO AC ORDINARIO, FACULTATIS JURIDICAE
h. t. DECANO,

PRO IMPETRANDO GRADU LICENTIATUS EX UTROQUE JURE

PUBLICAE ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBMITTIT

TRIBUS RIGOROSIS EXAMINIBUS RITE TENTATUS ET APPROBATUS

PAULUS IGNATIUS OSTENBERGER,

Münnersstadianus,

SUPREMORUM HERBIPOLENSIIUM DICASTERIORUM ADVOCATUS ET PROCURATOR, NO-
TARIUS CAESAREUS PUBLICUS ET JURATUS,

AUTHOR ET RESPONDENS,

IN AUDITORIO JURIDICO

Horis ante & post meridiem confusus Die XXV. Augusti MDCCLXXII.

Typis Francisci Ernesti Nitribitt, Universitatis Typographi.

DISSERTATIO IN ALGEBRA JURIBICA

DE

QUOD CIRCULA

DIVISIONE

PARENTUM INTER LIBEROS

QUOD EST AUCTORITATE

IN PRAXI JURIS

DE

UNA COMMENTARIIS EXPLICITIS IN QUORUM

ALIBI

DE OPTIMO MAXIMO

ANNUENTE IN QUODAM

IN ANNO 1715

IN

PRAXI JURIS

DE

DE OPTIMO MAXIMO

ANNUENTE IN QUODAM

IN ANNO 1715

IN

PRAXI JURIS

DE

ANNUENTE IN QUODAM

IN ANNO 1715

IN

PRAXI JURIS

DE

ANNUENTE IN QUODAM

IN ANNO 1715

IN

PRAXI JURIS

DE

ANNUENTE IN QUODAM

IN ANNO 1715



REVERENDISSIMO
ET
CELSISSIMO
S. R. I. P R I N C I P I
A C
D O M I N O, D O M I N O
A D A M O
F R I D E R I C O,
ECCLESIAE IMPERIALIS BAMBERGENSIS
ET
CATHEDRALIS WICEBURGENSIS
E P I S C O P O,
FRANCIAE ORIENTALIS
D U C I,
D O M I N O, D O M I N O M E O
C L E M E N T I S S I M O.

REVERENDISSIMO

CELESTISSIMO

S. R. I. P. R. I. N. C. I. P. I.

D. O. M. I. N. O. D. O. M. I. N. O.

A. D. A. M. O.

F. R. I. D. E. R. I. C. O.

ECCLÉSIAE IMPERIALIS BAMBURGENSIS

CATHEDRAE W. CATHEDRAE

E. P. I. S. C. O. P. O.

TRANSALPINA

D. U. C. I.

D. O. M. I. N. O. D. O. M. I. N. O.

C. E. M. E. N. T. I. S. S. I. M. O.



REVERENDISSIME
AC
CELSISSIME
S. R. I. PRINCEPS,
DOMINE DOMINE
CLEMENTISSIME!



*ua meta votorum meo-
rum haetenus mihi uni-
ca extiterat, eam Tua,
CELSISSIME PRINCEPS! singu-
lari Clementia consecutum me esse læ-
tor,*

tor, dum tenues hasce pagellas sacratissimos Tuos ad pedes deponi, easque splendidissimo Tuo Nomine insigniri permisi-
sti. Pius nempe dudum desiderii jam optaveram, REVERENDISSIMAE
CELSITUDINI TUAE *eternum
sinceri atque filialis erga Patrem ter Op-
timum amoris pietatisque submississimae
monumentum me posse collocare: neque
optavi incassum, cum insigni Tua, qua
litteratos aequissimus litterarum aestima-
tor prosequeris, Gratia id factum fuerit,
ut leviusculum hoc opus pervilem inge-
nii adolescentis partum Augusto Tuo
Nomini dicare liceret. Temeritatis
qui-*

quidem non exigua memet ipsum argui,
dum Principali Solio Tuo adrepere, sup-
plex ausus fueram; verum cum venera-
bunda mente recolerem, pari Clementiæ
oculo, adinstar solis, & humiles pau-
perum casas & superba Grandium pa-
latia Te aspicere, mens Gratiarum
Tuarum lenociniis incitata suas de Fu-
re Franconico primitias, impetrata,
quam gratiosissime concessisti, venia,
Tibi jam litat, dicat, consecrat. Pa-
tere ergo, CLEMENTISSIME
PRINCEPS! ut levidensis iste foetus
Principale Tuum ad Solium depositus,
suum inde robur, splendorem, decus
omne

omne hauriat. Juris Franconici est,
atque hinc suum ad Fontem, unde venit,
ad DUCEM FRANCONIAE me-
rito reducitur. Patere, inquam, com-
muni omnium Franconum voto & me-
um, meique parentis, qui munere An-
tigrabi Mümmersstadii per triginta qua-
ter annos fideliter functus, Tuis servi-
tiis infenuit, addi: Servet Te propi-
tium Numen Ecclesiae PRAESULEM, Im-
perio PRINCEPEM ac DUCEM, Patriae
PATREM ter Optimum, Universitati
MAECENATEM, mei mearumque The-
saurum PROTECTOREM Clementissimum
per longævam annorum absque nube se-
riem,

*riem, æterna justitiæ corona, condigno
tantis pro salute subditorum exantlatis
laboribus præmio, felicissime demum
beandum. Ita vovet*

REVERENDISSIMAE
CELSITUDINIS
TUAE

Servorum infimus

Paulus Ignatius Ostenb rger.

D. DEFENDENTI P R A E S E S.

Quòd tantam indefesso Labore ac Studio Scientiam tibi comparaveris, ut Dissertationem hanc inauguralem, quæ de bonorum inter Parentes & liberos Divisione agit, ipfemet tibi feligere, illamque unà cum Corollariis ex universo Jure desumptis, tanquam Opus tuum proprio Marte & Consilio elaboratum, mihi offerre potueris; animitùs gratulor, nihil omninò dubitans, quin hocce Specimen ad Altiora viam tibi sternet. Vale.

§. I.



§. I.

Quascunque etiam Laudes mereantur ii, qui in excolendo Jurium peregrinorum studio anxie defatigantur, certe maximas & illis deberi arbitror, qui suis tum doctrinis, tum varii generis elucubrationibus Jus patrium illustrare student, sane propterea optime sua de Patria meriti.

§. II.

Neque defuere etiam, qui, quod suæ Patriæ debeant, perpentes, vix non depressam Juris germanici prudentiam contra

A

exte-



exteras constitutiones erigere, natasque do-
 mi Leges Fori usu restaurare allaborarunt;
 arrisere nempe indies magis Quiritum pla-
 cita, sordere patria cœperant, quo fato
 egregii & cordatiores Teutones moti om-
 nem eo lapidem movendum esse putaverunt,
 ut latæ in Patria Leges vel observatum Jus
 etiam non scriptum, moresque laudabiles
 suis e cineribus reviviscerent. Hinc nosci-
 mus, quantum sua de Patria meriti fuerint
 Clarissimi BAYERUS, HEINECCIUS, ENGAVIUS,
 SENCKENBERGIUS, PÜTTERUS, SELCOVIUS:
 LAURENTIUM FRISIUM insigni sua opera quis
 ignorat, perfecisse, ut, cum mox moribus
 ac consuetudinibus patriis causas dirimi, mox
 obtorto illas collo ad Jus quoddam peregri-
 num, civile nempe rapi, invita Themide, vi-
 deret, inveteratarum consuetudinum atque
 morum collectio in scriptis Anno 1536. ede-
 retur, JOS. MA. SCHNEIDT *elemen. Jur. Fran-
 con. §. 13.*

Et

Et cum ante ipsum FRISIUM Reverendissimi & Celsissimi Wirceburgenses Episcopi, Principes, & Orientalis Franciæ Duces, D. RUDOLPHUS II. ex nobilissima Francorum Familia *de Scherenberg*, & D. LAURENTIUS ex gente pariter antiquorum Baronum liberorum Franconica *de Bibra* pp. m m. in suis sicutis reformationibus Judicii Provincialis Ducatus Franconiæ magnam in colligendis Patriæ circa Jus dicendum consuetudinibus navarint operam: quod ipsum præscripta sub die Martis ante festum S. Elisabethæ Anno 1512. a D. Episcopo & Principe LAURENTIO *a Bibra* Judicio Provinciali-Cæsareo Franconico specialis, & typis edita ordinatio sub titulo reformationis satis testatur; postmodum Clarissimus FRISIUS Anno nempe supra fato 1536. defectus circa Leges & Consuetudines, ac ipsum Judicium Provinciale Franconiæ a D. Episcopo & Principe CONRADO *de Thüngen* jussus est conscribere, quod opus 101. titulis dispositum



proposuit, in fine hujus operis sui monendo, quod reliquæ Consuetudines ex antiquis Judicii Provincialis Cæsareo - Franconici libris & protocollis extrahi, & collectioni Frisianæ debeant adnecti; porro D. Episcopus & Princeps MELCHIOR perillustris antiquissimi generis *de Zobel* dein Constitutionem de forma processus, nec non Judicii Provincialis Anno 1546. fancivit, ratione Juris vero in eodem Judicio ab antiquiore tempore observati, sive Consuetudinis Provinciæ solidam repetiit informationem, quam etiam Judicium Provinciale Franconicum per NICOLAUM DHIMER, quondam dicti Judicii Syndicum Anno 1557. exhibuit. Ast cum nihilominus varia adhucdum circa consuetudines illas dubia superessent, eadem D. Episcopus & Princeps FRIDERICUS de Familia Nobilissima de *Wrsberg* per supremum principalis aulæ Magistrum, per Vice - Cancellarium, & per Referendarium suum in ipso Judicio Provinciali die 5. Julii 1570.

1570. ad deliberandum proponi mandavit, super quibus memoratum Judicium scriptam relationem Celsissimo Duci suo sub 16. Novembris ejusdem Anni submississime obtulit, ad quam Sapientissimus Episcopus, Princeps & Dux resolutione clementissima sub 6. Martii 1571. decisive rescripsit.

Quia nihilo tamen minus Leges nostræ patriæ, ac Consuetudines Franconiæ suo adhuc modo essent dispersæ, easdem Reverendissimus, & Celsissimus D. Episcopus & Princeps Julius extinctæ stirpis olim perillustris *ab Echter de Mespelbronn* ex variis illis prioribus reformationibus, relationibus, & resolutionibus colligi, & in unum volumen compilari jussit, sicque summus Auctor hodiernæ Ordinationis Franconicæ Provincialis nostræ evasis, quam propriæ manus subscriptione velut Legem perpetuo valituram confirmavit, per mortem vero die 13. Aprilis 1617. longe dolendam Legislatore isto, Principe optimo evivis



subtracto Celsissimus illius Successor D. JOAN-
NES GODEFRIDUS ex Familia de *Aschhausen* pro-
gnatus eandem Ordinationem die 8. Aprilis
1619. fecit publicari. Ex qua Materiam Ego
de Divisione inter liberos & parentes tam vo-
luntaria quam necessaria aggredior, Materiam
licet in Foro frequentissimam, nec tamen
suis difficultatibus destitutam.

§. III.

Est autem Divisio hæreditaria, generali-
ter spectata, legitima hæreditatis inter cohæ-
redes distributio. Hæc secundum Jus duode-
cim tabularum sub nomine ercti citi venit,
ubi cautum fuerat, ut nomina inter hæredes
ercta cita sint, cæterarum Familiæ rerum, si
vellent, erctum citum faciant, Prætorque
ad erctum ciendum tres arbitros daret. JAC.
GOTHOF. *de leg. I 2. T A BB. tab. 5. J. G. HEINEC*
Antiq. Rom. 3. 28. 7. Nomina ergo, obli-
gationes & actiones dixeris, inter cohæredes
ipso

ipso Jure erant divisa, *L. 2. §. ult. L. 4. Pr. L. 25. §. 1. ff. L. 6. C. Famil. ercif.* Quæ cum Divisio solos hæredes, sive testamentarii sive legitimi sive prætorii fuerint, concerneret, ad legatarios non protrahenda fuit; hi enim, sicut obligationum atque actionum emolumento non honorabantur, ita & illarum haud prægravabantur onere; adiri autem hæreditas debuit; unde per hanc Decemvirorum constitutionem inter cohæredes communio & tacita quasi societas enascebatur; quia tamen invitus eadem manere in communione nemo cogi poterat, demum actio Familiæ erciscundæ, per quam quis ad Divisionem, præstandasque obligationes personales provocare possêt, prodita fuit: cumque contingeret, ut intuitu erciscundæ Familiæ ipsimet cohæredes in rixas & insidias protraherentur, illarum compositio Prætori ex æquo & bono dirimenda relinquebatur. HEINN. *Ant. Rom.* 3. 28.

§. IV.

§. IV.

Cæterum & ipsi Patri libera Jure Romano relicta fuit circa Divisionem inter liberos Dispositio, ita, ut, vi suæ Patriæ Potestatis plenique in bonâ sua Domini pro placito etiam inæqualiter partes inter filios sibi ab intestato successuros distribuere potuerit, dummodo salva semper fuerit post mortem cuius liberorum legitima, nec Instrumentum Divisionis extraneus quidam confecerit, sed vel ipse Pater vel filii insimul divisioni huic in finem subscripsissent, ut de energica patris dividētis voluntate nullum amplius dubium relinqueretur; atque observato hoc Divisionis ordine, rixis plerumque orituris ac filiorum contentionibus obveniendum esse, credidit Imperator, cum providere subtiliter oporteat cautelæ filiorum, & non aliud quidem minuire, aliud sub errore relinquere *Novel. 18. C. 7. L. ult. C. Famil. ercis.*

§. V.

§. V.

Alia autem omnino ratio circa Divisionem Parentum inter liberos Jure Germanico habenda est; Romano enim Pater vi suae Potestatis & potuit dividere, nec ne, quin illius Divisio a liberis invitis & nolentibus vel retardari potuerit, vel a petentibus praecise, invito Patre, promoveri. Enimvero cum in pluribus Germaniae Provinciis per supernatentiam liberorum communio bonorum inter conjuges, Jure Romano incognita, introducta fuerit, BÖHM. *Introd. in Jus Digest. L. XXXIII. Tit. II. §. 21. L. 57. §. 1. Solut. mat. L. 16. §. 3. de aliment. leg.* non potuit non contingere, ut mirifice Patria Potestas circa Divisionem bonorum restringeretur illa filiorum nimium quantum ampliata. De eo ergo, quid circa Divisionem Parentum inter liberos in Germania & in specie in Franconia justum sit, paulo accuratius liceat discurrere.

B

§. VI.

§. VI.

Est autem Divisio alia totalis, alia partialis; totalis omnia bona, quæ tempore inchoandæ vel debitæ Divisionis apud conjuges extiterunt, in se dividenda continet; partialem illam vocamus, ubi Parentes certa quidem bona, non tamen animo, dividendi plenarie, filiis assignant, & extradunt, qui animus, plenarie non dividendi, ex eo potissimum colligitur, si Parentes Legale quoddam Inventarium conficere, neglexerint. Ex quo consequentaneum est, ut ratione Divisionis totalis vel partialis non ad bonorum liberis extraditorum Legitimam forte superantium quantitatem, sed ad mentem Parentum Legali mediante Inventario dividendum principaliter respectus habeatur; aliud enim omnino est, liberis bona extradere, aliud interveniente sincera omnium bonorum & Legali conscriptione filii dare Legitimam, quod Inventarium præcisè in Divisionibus totalibus Leges requi-

runt. *l. G. D. Pag. 3. Tit. 91. §. 4. item Tit. 92. per totum.* Constare enim debet, quid, quale, quantum, in computum Legitimæ veniat, id quod solum & unicum Inventarium determinat.

§. VII.

Totalis Divisio iterum alia est voluntaria, alia necessaria: voluntariam utriusque partis, filiorum nempe & Parentum consensus absolvit; offertur scilicet, & acceptatur. Necessaria Divisio contra invitos & refractarios, nolint, velintve, Statuto Legis exercetur; *l. G. D. P. 3. Tit. 31.* Ad quam tamen Parentes, sive in conjugali vivant consortio, sive hoc soluti sint, indistincte a filiis cogi non possunt; quodsi enim Parentes rerum suarum veri sint moderatores & arbitri, plenumque ipsis competat Dominium; *l. G. D. P. 3. Tit. 39. §. 8.* nemo erit, qui non intelliget, liberos ex intem-

B 2

pesti-

pestivo pruritu provocare ad Divisionem non posse, nisi & ipsi Parentes sponte, & volentes, Legale communionis societatisque vinculum dissolutum esse, malint, vel causa Legibus fundata adfit, quæ Parentes ad Divisionem compellat. *L. G. D. P. 3. Tit. 90. §. 2.*

IIV
§. VIII.

Necessaria Divisio porro alia est ex parte Parentum, alia ex parte liberorum, Parentes autem tunc bona cum liberis dividere coguntur, quando liberi Jure Legitimam petunt, id quod contingit A) si conjux superstes ad secunda vota ac nuptias, nullâ interveniente unione prolium, transeat; *L. G. D. P. 3. Tit. 31. §. 3.* Neque tamen hoc in casu actualem novorum conjugum inter se cohabitationem requirâs: contracta enim solummodo esse sponsalia sufficit, & ipso facto & Jure Parens ad Divisionem adigi poterit; nam-

namque in eundo sponsalia paternum Parens
 erga Filios amorem amisisse, & sic pœnam
 incurrisse Divisionis, Legibus omnino dig-
 num visum est; *Vid. Mandatum Principale*
de 13. Julii Anno 1709.

B) Si Parens viduus vitam luxuriosam
 agat, honoremque viduitatis reprobe con-
 taminet; qualemcunque autem luxuriam ad-
 dictatam Divisionis pœnam haud sufficere ar-
 bitror, præterquam enim, quod probanda sit,
 & talis esse debeat, quæ honorem viduitatis
 vere lædat, utpote si de actuali peracta copu-
 la certo certius constet; *eodem Tit. §. 5. & 6.*
 Non otiosa hic occurrere posset quæstio, an a
 die peracti concubitus, an vero a tempore
 factæ denunciationis latæque sententiæ decer-
 nenda sit Divisio, & quando huic conditioni,
 ex Lege tali in casu præscribatur? Videri qui-
 dem posset, antequam lata sit sententia Judicis,
 læsum viduitatis honorem dicendum haud esse,
 cum hæc illum utpote læsum prius declaret,
 B 3 quia



quia tamen Ordinatio Provincialis Franconia
 citato supra *Tit. 31. §. 5.* apprimè decidit,
 ipso facto commissam esse Divisionem, & qui-
 dem vitæ dissolutæ in odium, non a die de-
 nunciationis aut latae sententiæ, sed a die illi-
 citi concubitus inchoari Divisio statusque sub-
 stantiæ dividendæ talis, qualis illo tempore
 fuerat, inquiri, & assumi debebit. Multum
 autem interest, ex utroque alterutrum statue-
 re, quodsi enim ipso facto fieri Divisionem
 oporteat, ad Fructus etiam ex Legitima hac-
 tenus perceptos quin imo percipiendos in pœ-
 nam violatæ viduitatis lascivus parens tenebi-
 tur. *l. G. D. P. 3. Tit. 105. §. 2.* Hinc
 etiam est, quod, etiamsi filii Divisionem in
 casu violati honoris conjugalis non urgeant,
 vel Judex Provincialis, cui velut supremo tu-
 tori, & Legis hujus pœnalis custodi ad con-
 servanda impuberum & minorum Jura illæsa
 in ejusmodi scelera etiam ex officio inquirere
 incumbit, id facere negligat, huic conditioni

ex

ex Lege non nisi lapsu longissimi temporis
 præscribatur. Arg. *l. G. D. P. 3. Tit. 105. §.*
 3. Quinquennium ergo haud sufficit, cum
 lapsus quinquennii vindictam quidem publi-
 cam, quam sibi Legislator reservat, *l. G.*
D. dicto Tit. 31. §. 6. privatam autem res-
 pectu liberorum, utpote quæ conditionem
 personalem pro fundamento habet, non tol-
 lat. *L. 3. C. de Præscript. 30. vel 40. annorum.*

C) Si Parentes de sua Tertia, facta
 necdum Divisione, inter extraneos testen-
 tur. *l. G. D. Tit. 31. §. 7.*

D) Bona furiose dilapidare incipiant:
 qualiscunque enim profusio non sufficit, sed
 talis, quæ notorie filiorum Legitimam læ-
 dere possit, aut revera lædat: *l. G. D.*
dict. Tit. 31. §. 8. Exsurgere hic possit
 quæstio, an Pater tertiam bonorum partem
 reapse petulanter dilapidans a liberis dein
 ad Divisionem provocatus ex duabus resi-
 duis



duis Tertiis & suam in Divisione detrahere
 possit? videri quidem posset, quod, quia
 Pater pro prodigo sententia Judicis necdum
 declaratus est, & hinc rerum suarum mode-
 rator permansit & arbiter, de residuis dua-
 bus Tertiis suam adhuc portionem capiat.
 Quodsi tamen mens & verba citati §. 8.
 penitus inspiciantur, reperiemus, quod Lex
 in casu dilapidationis in ordine ad urgen-
 dam Divisionem nihil aliud requirat, quam
 quod filii prodigalitate Patris sua de Legi-
 tima defraudari possint; ex quo prono al-
 veo fuit, quod, quando Lex salvam vult
 habere filiis Legitimam, si necdum reali-
 ter laesi sint, sed solummodo laedendi fo-
 rent, cur non & idem Jure fortiori Lex
 volet, si Pater tantam jam bonorum sum-
 mam profuderit, ut notorie constet, præ-
 ter duas Tertias amplius de bonis prodigi
 Parentis haud quidquam superesse. Recte
 ergo mihi statuere videor, prodigum Pa-
 ren-

ai/b

rentem, qui rebus suis finem modumque imponere nescit, & duabus residuis una jam petulanter ab ipso profusa suæ prodigalitatibus in odium ac pœnam de Divisione sibi nihil amplius capere.

E) Si Parentes extraneos in filios aut nepotes adoptent. *l. G. D. P. 3. Tit. 31. §. 9. & 10.*

F) Vel alimenta in Hospitali, data pecunia, quærant, aut Contractum vitalitium cum extraneo ante Divisionem ineant, suumve e patria domicilium in detrimentum filiorum alibi figant; *l. G. D. eod. Tit. §. 11. 12. 13. 14.* hinc etiam si Pater meliorem quinimo optimam suam conditionem faciat, hoc tamen non obstante, recte ad Divisionem compellendus erit, ne scilicet liberis, quorum in favorem Constitutio nostra Provincialis Franconica provide multa salubria, duas nempe

C

terti-



tertiis sancit, peregrinum quoddam novi domicilii Jus summum eorum in damnum obtrudatur, sicque duabus tertiis defraudentur.

G) Si Parentes continuis inter se rixis & altercationibus ita agitentur, ut, bonis in detrimentum liberorum deficientibus, vel divortium moliantur, vel idipsum revera subsequatur, *cit. Tit. §. 15. & 16.* quo tamen in casu pars innocens ad Divisionem adigi non poterit, cum Leges infantes non plectant, sed pars potius rea sextantem bonorum sibi capiens communiione exire jubebitur; altera vero, si velit, & nullum liberis præjudicium exinde immineat, in possessione bonorum manere poterit; de quo tamen prævia D. Judicis Provincialis cognitione opus est *per dict. Ordin. Provinc. P. 3. Tit. 31. §. 15.*

H) Cum irnordinato amore liberorum quendam ita prosequantur, ut exinde damnum

num non leve reliquis enasceretur, utpote si bonum immobile vel quæ bonis immobilibus æquiparantur, pretiosa, simulata v. g. venditione in reliquorum liberorum perniciem uni illorum modo illicito tradere præsumant. *l.*

U. D. cit. Tit. §. 17.

I) Si pcena pecuniaria ob delictum publicum Parentes plectantur, *eod. Tit. §. 18.* requiritur autem pcena pecuniaria, corporis afflictiva non sufficit, cum per hanc liberi sua Legitima non defraudentur, per additam expresse rationem in laudato §. 18. ut salva rectaque maneat liberis Legitima, quo in casu itidem recurrit, quod hæc Provincialis Constitutio ad partem innocentem extendi & protrahi non possit.

K) Porro si Parentes liberis auxiliatrices, dum valent, manus suamque implorati opem detrectent, dirove in illos modo defæviant. *Cit. Tit. §. 19. & §. 20.*

C 2

§. IX.



§. IX.

Recensitis mox casibus etiam illi essent ad-
jungendi, qui in *cit. Tit. 31.* expresse nomina-
ti non sunt, sed a Celsissimo S. R. I. Principe,
Episcopo Bambergensi & Wirceburgensi,
Franciæ Orientalis Duce, JOANNE GODEFRI-
DO, prudenti & impartiali Judicis Provincialis
cognitioni reservantur; quorsum moderatio
quoque in supra dictis casibus remittitur: *Vid.*
Ord. Provinc. Francon. P. 3. Tit. 31. §. 21. Ubi
ad analogiam Juris recurrendum esse puto, cum
specificè exprimi ob factorum variationem non
possint; casus ergo vel ejusdem generis aut
speciei vel saltem atrociores esse debent, quan-
do liberis compellere Parentes ad Divisionem
licet. *L. G. D. Tit. 31. §. 31.*

§. X.

Datur insuper & alia, præter voluntariam,
& necessariam, Divisionis species, mixtam
appel-



conica Textibus omnino expressissimis confirmare videtur, sic si percurramus *Tit. 105. P. 3.* in verbis: Dann allein in diesen Fällen, wo auf der Eltern Anbiethen das zwey Theil, dieselbe (id est:) Kindere anzunehmen schuldig seynd; item: *Tit. 32 § 4.* Da die Kinder: Richter derenselben Vormunder oder Freund auf Anbiethen deren Elteren den zwey Theil anzunehmen, oder sich abtheilen zu lassen schuldig seynd; item *ejusd. Tit. §. 10.* Solle unseres Landrichters Erkenntnuß abgewartet werden, ob die Kindere, den zwey Theil anzunehmen schuldig seynd, facile invenimus liberos in illis solummodo casibus, in quibus Divisionem acceptare tenentur, ad illam compelli posse, ex quo e contrario consecutaneum est, in regula, ubi liberi acceptare Divisionem non tenentur, hanc illis obtrudere Parentibus non licere.

§. XI.

§. XI.

Quinam autem illi casus sint, ubi liberi præcise acceptare Divisionem coguntur, nostro in Jure clare expressum non invenimus; hinc ad analogiam Juris iterum recurrendum erit; constat ex *Titulo 50. P. 3. Ord. Provinc. Francon.* quod Parentibus ex causis ibi allegatis liberos exhæredare liceat; si autem plane exhæredes liberos scribere Parentibus licet, quod plus, quinimo summum est, iisdem etiam ex causis Parentes liberis obtrudere Divisionem (quod minus est) posse, quis neget? Insuper posset contingere, ut filiorum unus exhæreditatione dignus sit, quod vero etiam tunc Pater omnibus obtrudere Divisionem possit, nullus arbitror, cum insonites plecti non debeant.

§. XII.

An autem tunc, quando Parentes cogi possent ad Divisionem, hæc etiam a liberis accep-



acceptari debeat? non inutilis erit discutien-
da quæstio: qua in re distinguendum esse om-
nino cenſeo: an Diviſio per modum meræ
pœnæ injungatur Parentibus v. g. Ob læſum
viduitatis honorem, an vero Conſtitutio noſtra
Provincialis Franconica bonum liberorum
pro objecto habeat? Si per modum pœnæ,
hæc quidem a liberis uti a Lege, ſalva ma-
nente vindicta publica, remitti poterit, ne
tamen ex delicto emolumentum capiat laſ-
civus pater; nemo non cognoſcet, hoc in
caſu nunquam ſeparationem bonorum, niſi
ex re liberorum eſſe viſum fuerit, iis obtru-
di poſſe. Membrum ſecundum Diviſionis
quod attinet, omnino eo reſpiciendum erit,
an Diviſio liberis proficua ſit, nec ne; quan-
do enimcunque Leges, compellere ad Di-
viſionem Parentes, liberis permiſere, id uni-
ce intenderunt, ut certa reſtaque liberis
maneat Legitima, illorumque bonum modo
quovis meliore promoveretur, cauſas enim
Divi-

Divisionis respectu parentum, si liberi velint,
 necessarias in horum favorem a Jure inventas
 esse, ex Constitutione nostra Franconica sole
 meridiano clarius liquet; quodocunque ergo
 constiterit, Divisionem liberis damnosam po-
 titius quam proficuum esse, liberi quidem (si
 majorenes sint, ac liberam rerum suarum ad-
 ministrationem habeant) parentes ad Divisio-
 nem poterunt si velint, provocare, quin tamen
 ab illis, si nolint, ipsis invitibus & renitentibus
 Divisio obrudatur, ne scilicet, quod in favorem
 liberorum est introductum, contra mentem ac
 intentionem Legis in illorum odium detor-
 queatur; quæ enim fors ter infausta obveniret
 liberis, si, quod ob factum Patris ipsimet
 possent, inversa vice Pater Divisionem urge-
 re vellet, sicque peracta Divisione liberi te-
 nuem Legitimæ portionem capientes a pinguis-
 sima avi hæreditate debeant abstinere *Tit.*
76. P. 3. O. P. F.

D

§. XIII.



§. XIII.

Atque hæc de legitimis & naturalibus liberis dicta sint; legitimos enim fortissimum in tertiam adeo Parentum mediante unionis pacto Jus esse consecutos, sicque Parentes ad Divisionem contra tales liberos provocare non posse, abunde colligerelicet *ex Tit. 39. §. 15. P. 3. O. P. F.*

§. XIV.

Spurios atque ex damnato coitu natos quod attinet, sicut ultimi hæreditate Parentum digni non reputantur, ita & illos quæstio de Divisione non tangit. *P. 3. Tit. 83. §. 2. A spuriiis autem extra concursum cum legitimis ratione Matris, illorumque liberis ex justo matrimonio prodeuntibus ratione avorum idem Jus ac liberis naturalibus & legitimis circa Divisionem passivam & activam asserimus, Tit. 82. §. 3. P. 3.* Atque id ipsum etiam Jus, quod naturalibus

bus ac legitimus competit, filio, quem Mater gravida, cum ad secunda vota pervolasset, ignorabat, vindciamus, cum is, qui nasci speratur, cum de ipsius Jure quæritur, pro superstite sit, omniaque illius jura in tempus nascendi integra retineantur; *L. 231. ff. de verb. sig. L. 3. ff. Si Pars hæred. petatur.*

§. XV.

Cæterium videri quidem posset, huic Conditioni ex Lege in ordine ad petendam Divisionem præscribi non posse, cum expresse in *Tit. 105. §. 3. P. 3. O. P. F.* dicatur: Da auch nach verbrochener Hand aus Gutwilligkeit deren Kinderen Vatter und Mutter in allen Gütern gelassen würden, so haben die Kinder oder derselben Vormunder Macht, alsbald in Anfang zu End oder in wehrender Ehe den zwey Theil zu forderen, verum, cum juxta tradita *Tit. ult. P. 3. O. P. F.* in illis casibus, qui non ita clare in Constitutione Provinciali



decisi sunt, recurrere ad Jus commune debeamus, *l. G. D. P. 3. Tit. 122. §. ult.* atque laudata Constitutio de præscriptionibus nihil determinet, facile patet, hujus decisionem quæstionis e Jure Romano petendam esse, ubi actionibus personalibus, inter quas etiam Condictio ex Lege ad petendam Divisionem collocanda est, lapsu longissimi temporis, scilicet triginta annorum spatio, suppositis supponendis, præscribitur, non obstante, quod in citato §. 3. ly, *wehrender Ehe*, deprehendatur.

§. XVI.

Objectum autem Divisionis consistit in universalitate Juris hæreditarii, quæ tempore *der verwürckten Theilung* aderant, *Tit. 28. §. 1 & 2. O. P. F. item Tit. 83. §. 3. P. 3.* ita tamen, ut liberorum Præcipuum, peculia adventitia regularia & irregularia in Divisionis computum haud veniant; conficitur desuper legitimi-

legitimum Inventarium, aut, quod idem est, sincera bonorum una cum activis & passivis sine discrimine a Judice legaliter suscipienda conscriptio, quæ prævia manus stipulatione per eum, de cujus bonorum Divisione agitur, præstanda, de omnibus & singulis fideliter edendis conficiatur; ubi singulariter notandum quodquæ fraudulenter Divisioni subtracta fuerint, ea annexa caducitatis pœna parti innocenti contra reum accrescant, quæ vero justis ex causis vel oblivione inculpabili non sunt prodita, ad hæc intercedente Causæ cognitione actio suppletoria læso competit. *Tit. 92. P. 3.*
Per totum Parentes vero legitimi tantum: welche durch die aufgerichtete Einkindschaft denen Kinderen zu Elteren gemacht worden: petentibus liberis unitis semper in Divisione juramentum manifestationis, quod nihil de substantia dividenda occultaverint, & sibi retinuerint, præstare coguntur, quia contra hos novercalis odii persistit præsumptio, qua de re quæ



que tales legitimi parentes etiam extra casum
 Divisionis super omnia bona sua, totamque
 substantiam conficere Inventarium tenentur.
 L. G. O. P. 3. *Tit. 92. §. 5.* Varius autem
 & multiplex totalis Divisionis effectus in Jure
 Franconicoprehenditur: si.

A) Solvitur patria potestas, atque libe-
 ri sui Juris esse incipiunt;

B) Nec Parentes, liberos nec liberi Paren-
 tes, extremæ egestatis casum si exceperis (qui
 tamen unitos non stringit,) alere amplius ac
 sustentare tenentur; *Tit. 92. per totum.*

C) Disrumpitur communio bonorum in-
 ter conjuges, ita, ut, peracta Divisione, &
 Dos & Donatio propter nuptias in bonis resi-
 duis reviviscat, quodsi enim hæc stantem
 ob communionem per proles in matrimonio
 susceptas hactenus dormierit, recte inferre
 licebit, sublata per Divisionem communione
 prolibus iterum defunctis & Dotem & Dona-
 tionem

tionem propter nuptias iterum intelligi, illarumque sopita Jura penitus restaurari.

D) Solvitur unio prolium, ita, ut & liberi legitimi post Divisionem nec Parentes nec Avos adoptantes suos sibi scribere hæredes teneantur, uti & illi e Patris Avique hæreditate ab intestato, proximis consanguineis illam sibi capientibus, recte excludantur; *Tit. 85. §. 2. & 3. P. 3.* quod tamen in liberis legitimis & naturalibus in casu successione ab intestato haud procedit; licet enim Parentes liberos a se separatos, & sic separati a Parentibus liberi Parentes naturales & legitimos ex hæredes scribere possent, hujus tamen nulla habita ratione, Jure sanguinis successio ab intestato inter illos reciproca omnino est. *Tit. 84. §. 2. & seq. P. 3. O. P. F.*

E) Subintrat Testamenti factio apud liberos, & Parentes. *Tit. 32. §. 3.*

F)



F) Cessant peculia regularia consolidato cum proprietate usufructu. *Tit. 118. §. 5. P. 3. O. P. F.*

G) Sequitur, finita Divisione (minores si adsint liberi,) Curatorum constitutio, ubi Pater tutelam gerere potest. *l. G. D. Tit. 33. §. 1. & 3. P. 3. l. G. D. Tit. 34. §. 1. P. 3.*

Denique H) Parentes in Testamentis liberorum quartam falcidiam, hæreditate legatis exhausta, detrahunt, *l. G. D. Tit. 69. §. 2. P. 3.* Qui vix non omnes Divisionis reapse peractæ effectus illis etiam in casibus, ubi vel oblata & acceptata fuit, vel per Legem aut Judicis sententiam agnosci debuit Divisio, recte sibi locum vindicant, cum Divisio oblata & acceptata vel per Legem aut sententiam injecta, fictione Juris pro jam completa ac peracta realiter habeatur, unde prono alveo fluit, ut, quod sibi quis durante Divisione vel eo

tem-

tempore, ubi Divisio inchoari debuisset, prospera fortuna acquirit, hoc in Divisionis suscipiendæ computum neutiquam veniat, Parentibus vel liberis irrationabiliter renitentibus de damno per culpam aut moram dato obligatis. *l. G. D. Tit. 32. P. 3. per totum.*

§. XVII.

Neque tamen peracta semel Divisio ejus naturæ est, ut liberis tam legitimis, quam naturalibus & legitimis suis a Parentibus per separationem bonorum avulsis pristinum in nexum redire non liceat, dummodo consensus Agnatorum, si liberi adhuc in minorennitate sint constituti, prudens adhibeatur, unde evenit, ut priora omnia Jura, quasi non esset facta Divisio, liberis & Parentibus reviviscant, patria Potestas reducatur, curatela cesset, communio bonorum inter conjuges restauretur. Quæ tradita de retractatione novaque commu-
E
nitione

nione ita procedunt, ut nequidem iudiciale quoddam Instrumentum (Proclama vocant) nisi Parentes secundas nuptias celebrare velint, erigi necessum sit, sed ipso Jure & facto, dummodo ratione novæ communionis Partes inter se convenerint, quasi non facta esse Divisio videatur. *L. G. D. Tit. 35. P. 3. per totum.* Cæteroquin Parentum inter liberos Divisio singulare quid ac præcipuum in hoc sibi vindicat, ut, finita circa Divisionem a Parentibus præstandam, vel a liberis acceptandam per Judicis Provincialis sententiam controversa, ad Judicem quendam superiorem appellari haud possit. *L. G. D. Tit. 117. §. 3. P. 3. L. G. D. Tit. 32. §. 10. P. 3.* Atque hæc de Divisione differuisse sufficiat.

O. A. M. D. G.

THE-


T H E S E S
 E X
U N I V E R S O J U R E .

- I. *Prima Juris naturalis Præcepta non possunt ab homi-
ne rationis compote ignorari;*
- II. *Quod tamen de Præceptis particularibus non erit
intelligendum.*
- III. *Jus naturale immutabile Epikiam non admittit.*
- IV. *Principium Juris naturæ evidens verum ac adæ-
quatum etsi dare non negem, illud tamen determinari ac
cognosci posse dubito.*
- V. *Usuræ mordentes Juri adeo naturæ refragantur.*
- VI. *Servato moderamine inculpatæ tutelæ, ejusque
accidentibus requisitis legitimis, impune Invasor vitæ ne-
cari potest, unde tamen*
- VII. *Haud consequitur, eodem modo Invasorem Ho-
noris Duello aut privata quadam ultionis licentia posse in-
terfici.*
- VIII. *Præscriptio etiam inter liberas gentes locum
habet.*



IX. *Sicut Pacta de Jure Naturæ servanda sunt, ita adulatorium potius, quam rectæ Rationi consonum videtur esse Principium Machiavelli, vi cujus Princeps obligatione, standi suis promissis, respectu subditorum eximitur.*

EX JURE CANONICO.

I. *Regimen Ecclesiæ est Hierarchicum, ad formam tamen quod attinet, non pure Monarchicam, sed Aristocratia temperatam defendimus.*

II. *Promulgatio Legum Romæ solum facta ultra montes non obligat.*

III. *S. Pontifici nulla circa bona temporalia Potestas competit;*

IV. *Qui etiam de plenitudine Potestatis Concordatis Germaniæ derogare nequit.*

V. *Episcoporum potestas immediate a Christo est.*

VI. *Licet in Electione summi Pontificis exclusiva Imperatoris sibi vindicet locum, attamen in Electionibus Episcoporum nequaquam applicare poterit.*

VII. *Computus Juris canonici & civilis ratione graduum inter se in hæreditatibus non differunt.*

VIII.

VIII. *Decimæ non sunt Juris Divini, sed partus Juris Canonici & Civilis.*

IX. *Præscriptio mutui indefinite contracti sicut malam fidem non involvit, ita & bene defenditur.*

X. *Lex Amortizationis limites Justitiæ non excedit.*

EX JURE PUBLICO.

I. *Pax Religiosa & Westphalica ex capite vis & metus non rite impugnatur;*

II. *In his Pacificationibus firmandis summi Paciscentes suam spheram activitatis haud egrediebantur.*

III. *Domini Territoriales Seculares Catholici habent Jurisdictionem Ecclesiasticam in suos subditos Protestantem.*

IV. *Jurisdictione supremorum Imperii Tribunalium in causis Protestantium Ecclesiasticis, prout & Matrimonialibus, est fundata.*

V. *Competit Domino Territoriali Jus, transplantandi.*

VI. *Capitulatio Cæsarea, ut per modum Legis Imperii obliget, non nisi accedente Ordinum consensu, recte perficitur.*

E 4

VII.



VII. *Jus, cognoscendi de Feudis majoribus, soli Imperatori reservatur.*

EX JURE FRANCONICO.

I. *Uxor superstes in Testamento Conjugis præmortui præterita vel exclusa super nullitate Testamenti nec conquiri, nec illud querela inofficiosi impugnare potest.*

II. *Separatæ institutio œconomiae etiam Jure Franco-nico Patriam Potestatem solvit.*

III. *Unio Prolium sine expresso vel tacito liberorum consensu confecta ipso Jure nulla est.*

IV. *Parens, si reciproca, vi Proclamatis, inter liberos ratione præcipui successio per Pacta firmata fuerit, uno filiorum improle mortuo, illius hæres non est.*

V. *Testamentum nuncupativum coram solo Judice, etsi in præsentia testis, non tamen Actuarii vel Scabini ad acta confectum, Jure Franconico non valet.*

EX JURE CIVILI.

I. *Præsumtio Juris & de Jure non excludit probationem in contrarium.*

II.

II. *Filio familias Testamenti factio in Peculio adventitio irregulari frustra asseritur.*

III. *Possessio Jus firmum in re haud operatur.*

IV. *Transactio ob læsionem enormem suas vires adhuc retinet.*

V. *Pupillus sine Authoritate tutoris contrahens Natura quidem, non tamen naturaliter obligatur.*

VI. *Negotiorum gestorum culpam præstare levissimam nec Legibus, nec rationi evincitur.*

VII. *Lex post sui promulgationem vim obligationis statim exferit.*

VIII. *In contractibus non nisi eam, quæ cuius negotio proportionata est, diligentiam exigimus.*

IX. *Beneficium Minoribus concessum personale est.*

X. *Causa falsa Legato adjecta illud non vitiat.*

EX JURE FEUDALI ET CRIMINALI.

I. *Legitimati per subsequens Matrimonium a successione Feudali non excluduntur.*

II. *In dubio, an Feudum sit masculinum, an femininum? pro masculino erit pronunciandum.*

III.



III. Dominus potest, invitis Agnatis, feloniam remittere, etiam si sententia privatoria jam lata sit.

IV. Ascendentes regulariter Feudo non succedunt.

V. Felonia a Prælato commissa Ecclesiæ vassallæ non nocet.

VI. Contra Constitutionem Carolinam Status Imperii Leges Provinciales condere possum.


VII. Fure suspenso, hæredes ad resarciendum damnum adhuc tenentur.

VIII. Jus aggratiandi in omnibus delictis obtinet.


IX. Reus convictus, licet non confessus, pœna ordinaria recte punitur.

X. Tortura ad eruendam criminum veritatem merito retinetur.









Kd 1544

ULB Halle
005 575 818


3



Sb







DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA
DE EO,
QUOD CIRCA ⁷²
DIVISIONEM
PARENTUM INTER LIBEROS
VOLUNTARIAM ET NECESSARIAM
IN FRANCONIA JUSTUM EST;

QUAM,
UNA CUM SUBJUNCTIS EX UNIVERSO JURE COROLLARIIS
AUSPICE

DEO TER OPTIMO, MAXIMO,
ANNUENTE INCLYTO SENATU JURIDICO,
IN ALMA JULIO-DUCALI WIRCEBURGENSI UNIVERSITATE
P R A E S I D E

PRAENOBILI, CLARISSIMO AC CONSULTISSIMO VIRO, AC
DOMINO,

D. JOANNE CHRISTIANO JOSEPHO
FRANCISCO IGNATIO UNGER,

U. J. D. COM PALAT. CAES. HAEREDITAR. REVERENDISS. ET CELSISS. S. R. I. PRINCIPIS
EPISCOPI BAMBERGENSIS ET WIRCEBURGENSIS, FRANCIAE ORIENTALIS DUCIS &c. &c.
CONSILIARIO AULICO, ATQUE IN PRINCIPALI UNIVERSITATE HERBIPOLENSIS JURIS
FEUDALIS ET CRIMINALIS, NEC NON PRAESES SUPREMORUM IMPERII ROM. GERM.
TRIBUNALIUM PROFESSORE PUBLICO AC ORDINARIO, FACULTATIS JURIDICAE
h. l. DECANO,

PRO IMPETRANDO GRADU LICENTIATUS EX UTROQUE JURE
PUBLICAE ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBMITTIT
TRIBUS RIGOROSIS EXAMINIBUS RITE TENTATUS ET APPROBATUS
PAULUS IGNATIUS OSTENBERGER,

Münnerstadianus,
SUPREMORUM HERBIPOLENSIIUM DICASTERIORUM ADVOCATUS ET PROCURATOR, NO-
TARIUS CAESAREUS PUBLICUS ET JURATUS,

AUTHOR ET RESPONDENS,
IN AUDITORIO JURIDICO

Horis ante & post meridiem confuersis Die XXV. Augusti MDCCLXXIII.

Typis Francisci Ernesti Nitribitt, Universitatis Typographi.